

Privilegium Studii Illerden

Justi Politich

100

RSI-4/0028

Muznat

M. 523

Complet

B. 5.



DOMINVS ILLVMINATIO NOSTRA.

IVRIS DISCVRSVS

P R O

SYNDICO REGIÆ

LITERARIÆ VNIVERSITATIS
ILERDEN.

C O N T R A

NOBILEM AVGVSTINŪ

DE BERARDO, MILITEM SANCTI
Iacobi de Spata.

*In causa vertente in Regio Consilio Baiulia Generalis Cathalonia sub
examine Nobilis Raphaelis de Moxò Regij Consiliarij
meritissimi.*

Not. Cabanas.



SPECIMEN quidem Florentis Reipublica
est, ut disciplinarum Professoribus præmia
opulenta pendantur, aiebat Simachus lib. 1.
Epist. 79. D. Franciscus Amaya in l. Medicos
6. C. de Profes. & Medi. lib. 10. Ioan. Hieron.
Iranzo Prax. prot. cap. 34. nu. 52. & præfecto
maxima laus est Principis, & Reipublicæ eruditis favere Profes-
soribus,

*Broch.
Florentis reipub. l. 1. c. 1. de
premia professoribus. D. Hieron.
Iranzo Prax. cap. 34. nu. 52.*

A

Broch
proprio lau Pringis Iniquitatis et
inudis fauere et profes-
soribus literis, gremio
iditici.

loribus, & qui literis semper incubuere, præmia, honores, mercedisque, ac salaria proponere, ut amplius ad scientias addicendas invitentur. Valeri. Maxi. lib. 2. *Ælian. lib. 7. var. cap. 1.* Interpretes in percelebri *Authen. Habita, C. Ne Filius pro Pat.* Chassane. *Cat. glor. Mund. 10. par. Consid. 7.* Petr. Gregor. *de Repub. lib. 17. cap. 1. num. 6. & lib. 18. cap. 4. & 7.* Iranzo ubi nuper nu. 53. *Amaya in l. Vnic. C. de Præben. salar. lib. 10. num. 11.* D. Ioan. Solorçan. *de Iure Indiar. lib. 3. cap. 19. nu. 39.* Pat. Andre. Mendo *de Iure Academico lib. 1. quest. 1. num. 12. & Princip. perfect. Docum. 73.*

2 Cùmque utraque ætas in Vniuersitate Ilerden. fertilissimum literarum seminarium agnoverit, & inter cunctas Hispanas Academias adeò florida, & vetusta contemplata fuerit, ut mereatur exponi illud Horatij Flaci carmen.

Aut fugies Vticam, aut uinctus mitteris Ilerdam.

pro ut testatur idem Mendo *de Iure Academi. lib. 1. quest. 6. num. 102.* quæ tot eximios produxit Alumnos, & inter illos Diuum Vincentium Ferrer, qui ibi Magisterij gradum suscepit, & teste Bap. Platina *de uitis Pontifi. pagi. 326.* Calixtum III. Pontificem maximum, (antea Alphonsum de Borgia nuncupatum) qui in ea utriusque Iuris gradu fuit laureatus, publicèque Iurisprudentiam edocuit, cùm esset Canonicus Illustrissimæ Ecclesiæ Cathedralis Civitatis eiusdem; Nec non & Petrum Roitium, qui de Lituanicis decisionibus scripsit, eodem Pat. Mendo in allegato *num. 102.* profitente, ubi eius erectionem, vel restorationem anno. 1300. evenisse arbitratur; merito semper ad illius illustrationem, & in fastigij colocationem, strenui Aragonum Reges, Comites Barcinonæ, Regios oculos direxere, instar Heliotropij ad solem, ut eruditus disertissimus D. Ioan. à Choxi. *Thesau. poti. aphor. lib. 4. cap. 2. num. 1.* primitusque Serenissimus D. Rex Iacobus II. qui illam Literariam Palestam restauravit, vel de novo erexit, sic suo Regio Diplomate testante, dat. in Civitate Cesaraugustæ calēdis Septēbris anni 1300. in subsequētes periodus prorumpente: *Habito diligenti tractatu, & consilio pleniori, super electione loci, quo posset commodius idem studium ordinari, ad Ciuitatem Ilerdæ, veluti hortum fertilitatis, & secunditatis conclusum, ac*

Fontem

Fontem deliciarum, signatumque, quasi quoddam intermedium terrarū, ac Regnorum nostrorum exitit, oculos nostræ considerationis super hoc vigilēs duximus dirigendos, ad eius namque reformationem, ac statum laudabilem, tanto diligentius, ac specialius aspiramus, quanto Civitatis eiusdem, ac vestram, honorabiles Cives antiquam Nobilitatem, legalitatem, & fidem, ac grata pariter, & accepta Prædecessoribus nostris, nec minus nobis, per vos impensa seruitia, ad nostram crebrius memoriam reuocamus; quid amplius desideramus, si Regios panigyristas habemus? in his verbis aureis, diligenti scrutatione pensandis.

3 Cuius armigeri Regis semitas, prosequuti fuere alij Serenissimi Aragonum, & Hispaniæ Reges, qui illam plurimis Privilegijs, prærogativis, ac libertatibus ditarunt, & decorarunt, & ut illius subventioni amplius consulere, reservatæ fuere super fructibus, & redditibus, Mensæ Episcopalis Ilerden. duæ pensiones Ecclesiasticæ, prima 5. Idus Iunij anni 1565. septingentorum ducatorum auri de Camera, in favorem prædictæ Vniuersitatis: Altera postmodum 5. Calendas Octobris 1599. tercentorum ducatorum monetæ in istis partibus cursum habentis, hortatu scilicet Serenissimorum Phelipi II. & III. Hispaniarum Regum; & nostræ Aragonum Coronæ I. & II.

4 Executioni mandatæ fuere prædictæ gratiæ Apostolicæ; ut inter partes est in comperto; sed cum temporum iniuria Civitas illa admodum oppressa existeret (& postmodum aliquantulum restituta) non leuem jacturam passa fuit prædicta Regia Vniuersitas, ita ut nequaquam valuit, à Dominis Episcopis integram consequi quantitatem dictarum pensionum Ecclesiasticarum, sed tantummodo pro una, & alia D. Episcopi 1059^{tt} monetæ currentis solvebant, quæ quantitas inter utramque pensionē distributa, prout capere possumus, videtur regulari, nempe, pro prima pensione, ducatus aureus de Camera, ad rationē decem regalium monetæ currentis computabatur; secunda vero, ad forum duodecim regalium pro unoquoque ducato, ut communiter hic æstimatur.

5 Admodum Illustris D. Franciscus de Berardo, penultimus

mus Episcopus Ilerden. obiit debitor, ratione dictarum pensio-
nū, & pro tempore quo extitit Episcopus, à die scilicet 19. De-
cembris 1680. qua possessionem capit, usque ad diem 9. Sep-
tembris 1681. qua decessit, in quâritate 1805^{tt} 12^φ6. corres-
pondente tribus partibus, factis quatuor, totius integræ pensio-
nis, evolutatis dictis pensionibus, prout in earum reservationi-
bus continetur, videlicet, ducatus auri de Camera, pro scuto au-
reo, addito regali argenteo, & simplex ducatus, secundæ pen-
sionis, ad rationem duodecim regalium monetæ currentis.

6 Nobilis Augustinus Berardo, uti cessionarius spolij, præ-
dicti Episcopi, Fratris sui, pro solutione ratæ dictarum pensio-
num, de tempore prædicti Episcopi deposuit in Tabula com-
munium depositorum Civitatis Ilerdæ 748^{tt} 16^φ. quæ minimè
attingunt veram quantitatem debitam ex dictis pensionibus,
pro ut in illis decantatur, & cum soepius dicta Academia extra-
iudicialiter urgeret exactionem prædictæ quantitatis debitæ,
non valuit eam consequi à dicto Nobili de Berardo, quare co-
acta fuit prædictam inchoare littem, cuius ut innotescat iustitia,
sequentia offeruntur consideranda.

7 Primo, quod pensio priori loco reservata, extitit 700.
ducatorum auri de Camera, & sic sunt in obligatione dicti 700.
ducati auri de Camera, pro ut ratiocinatur Rot. Rom. decis. 135.
nu. 2. par. 3. recent. ibi: *Et moti sunt, ex eo quod ducatus est in obliga-
tione; Et ibi: Reservamus annuam pensionem ab omni decima, &c.
exemptam 24. ducatorum auri de Camera, &c.* & apud Cenci. post
trac. de cens. decis. 219. nu. 1. Gratian. discep. foren. cap. 417. à nu. 1.
Cyrjac. Niger contro. 388. n. 13. cū sequen. & ita solvendi sunt di-
cti ducati auri de Camera, vel eorum æstimatio, pro ut nunc est,
iuxta decisum in prædictis immediatè Rotæ decisionibus.

8 Secundo, prædictam pensionem 700. ducatorum auri
de Camera, importare 2047^{tt} 10^φ. monetæ currentis Barcino-
næ, quia ducatus aureus de Camera est idem ac unum scutum
aureum (vulgo, mitja dobla de or) addito uno Julio, scilicet re-
gali argenteo. Garcia de Benef. par. 5. cap. 3. nu. 147. Ferentil. ad
Burat. decis. 626. nu. 7. & 8. Rota apud Farina. in posthu. decis. 135.

par.

par. 1. nu. 4. & decis. 135. in si. par. 3. recent. Tondut. de pens. Eccle-
sias. cap. 40. nu. 1. testaturque ita praticari, & observari in Curia
Romana, cui quidem estimationi standum proculdubio est, cum
dictæ reservationes expeditæ legantur in Curia Romana, & esti-
matio fieri debet secundum consuetudinem loci ipsius Summi
Pontificis assignantis. Abbas in cap. Quanto, nu. 14. de iure iuran.
Gomez. ad Regu. de valo. quest. 8. Tondu. dic. cap. 40. nu. 2. & te-
nuit Rota transcripta per Garc. de Benef. par. 5. cap. 3. nu. 148. ibi:
*Quia cum agatur de pensione in ducatis auri de Camera à Papa reser-
vata, solutionis estimatione fieri debet iuxta valorem consuetum, in loca
eam assignantis.*

9 Quibus officere nequit prætena observantia ex adverbo
allegata, videlicet, quod dicta pensio soluta fuit ad rationem de-
cem regalium tantum, quia dum habemus claram, & expressam
reservationem dictæ pensionis 700. ducatorum auri de Came-
ra (& pariter liquet ducatum auri de Camera estimari, & idem
esse, ac scutum aureum, cum uno regali argenteo) neququam
attendenda est, dicta observantia, quia in claris prorsus despicien-
da venit, prout communiter docent DD. in nostris met terminis,
Loteri. de re benef. lib. 1. quest. 39. nu. 228. & 229. Tondut. dic. cap.
40. nu. 5. & similiter tenuit terminanter Rota Roma. in decis.
transcripta per Garc. par. 5. cap. 3. nu. 148. ibi: *Nec facit prætena
observantia in contrarium, quia cum habeamus claram, & expressam
Papa pensionis reservantis voluntatem, non est locus observantia, &c.*

10 Deinde quia, in dicta reservationis Bulla, adest clausu-
la: *sublata, &c.* quæ destruit omnem usum, & consuetudinem
contrariam in futurum, Farina. de Immu. Eccles. nu. 2. Barbof. de
clau. clau. 175. nu. 23. Rota Roma. decis. 373. nu. 7. & 8. par. 5. recent.

11 Pariter etiam munita reperitur dicta reservatio, decreto
irritanti, quod quidem quamlibet observantiam, in contrarium
excludit. Larrea allega. Fisca. 12. nu. 13. Delben. de Immu. Ecclesi-
tom. 1. cap. 1. dubi. 15. secti. 7. nu. 15. & Tom. 2. cap. 16. dubi. 6. nu. 9.
Nobilis, & sapientissimus D. Regens Cortiada decis. 119. nu. 10.
Xammar. de Priui. Ciuita. Bar. §. 13. nu. 14. atque ideo omni ex
capite prætena observantia proculdubio est repellenda.

So-

*insubito
Tudalor
Ultimatio prætena, ut facienda
secundum consuetudinem loci
ubi prætena.*

*Observantia Iherosolimitana contra
Saram Japparam reservanti
pensionis voluntatem non atten-
ditur.*

*Prætena sublata destruit
omnem usum & consuetudinem
in futurum
Prætena cum decreto irritanti*

*Ducatus qd est obligatio ne el
non est mutata bonitas intrinsicæ
sunt attenditur valor & tempore
iustitiam*

Ducatus de Camera quid sit

Observatio solutionis sua attenditur
quod non dicitur indistincte
quod moneta, esse facienda solu-
tio

12 Solummodòque locum habere posset prædicta obser-
vantia, si pensio reservata fuisset, in ducatis indistinctè, ita ut nõ
posset apparere, an essent ducati de Camera, vel usualis monetae,
pro ut observarunt Loteri. *de Re benef. lib. 1. Quest. 39. n. 157.* Ton-
duc. *de Pension. in allega. cap. 40. nu. 6.*

Protestatio conservat jus protestan-
tis.

13 Quibus omnibus ad stipulatur prædictam Regiam
Univerſitatem protestatam fuisse de suorum iurium reservatio-
ne, ante receptionem, & in ipsa receptione solutionis dictæ pen-
sionis, atque ita media prædicta protestatione, salvum, & illæ-
sum remanſit ius dictæ Univerſitatis, quo ad futuras pensiones
decurrendos. Larrea *Allega. Fisca. 112. nu. 40.* Giurb. *observa. 9. nu.*
25. Donadeus *de Renum. cap. 1. nu. 75.* Iranzo *prax. prot. cap. 2. &*
6. nu. 6. & 7. Fontanel. *de pac. 2. clau. 7. glo. 3. par. 1. nu. 68.*

Protestatio una in actibus
extrajudicialibus sufficit in
primo actu ut in ceteris repe-
tito intelligatur

14 Nec tot protestationes requirebantur, pro dictæ Lite-
rariæ Univerſitatis tuitione, cum tantum una sufficeret, quia in
actibus extrajudicialibus sat est protestationem emittere in pri-
mo actu, ut in coeteris subsequenter repetita intelligatur, Mo-
hedan. *decif. 2. de iudici.* Gratian. *discept. cap. 356. num. 38. & 39.*
Iosephus Ramon *conf. 56. num. 10.* Honded. *conf. 100. nu. 75. lib. 2.*
Rota Roman. *decif. 418. post tract. Duard. de censib.* Iranzo *Prax.*
prot. cap. 11. num. 7. cap. 40. num. 15.

15 Ex prædictis omnibus apertissimè sequitur, dictã pen-
sionem Ecclesiasticam 700. ducatorum, auri de Camera, iuxta
communem æstimationem, summã efficere 2047 et 10 & mo-
netæ usualis, & respectu huius quantitatis regulandam esse por-
tionem, vel porratam solvendam per Nobilem Adversantem,
nominibus quibus in processu, & talem esse obligationẽ Menſe
Episcopalis Ilerden. super qua reservata extitit prædicta pensio.

16 Quamvis autem aliqua Regia Decreta super solutione
dictæ pensionis fuerint emanata, præcipientia illam cum dimi-
nutione esse solvendam, videlicet ad forum 16. regalium mo-
netæ usualis, pro unoquoque ducato auri de Camera, est incom-
perto suam Regiam Maiestatem minimè informatam fuisse de
veritate optimi iuris, & infallibilis iustitiæ, quibus clarè, & litte-
ralitèr foveretur Univerſitas Literaria Ilerden. quia nunquã Prin-
ceps

ceps creditur rescribere in præiudicium Tertij, iuxta Aristot. 5.
Polit. cap. 10. Larrea *allega. 23. nu. 43.* Sperel. *decif. 126. nu. 83.* Fõra.
decif. 456. nu. 2. & decif. 455. nu. 22. & 23. Quesada, & Pilo *contro.*
22. nu. 44. & 45. Præcipuè attendita qualitate istius materiæ, iux-
ta nota. per Iranzo. *de Prot. cap. 34. nu. 56.* in illis verbis: *Quæ Pro-*
fessorum salaria, non debet Princeps, aut Respublica diminuere, nè alias
Professores, ob salarij tenuitatem munus legendi diligenter adimplere
impediantur, & salaria diminuentes notam existimationis incurrere
videantur. ex sententia Pauli Iouij de viris illust. in Pompeio colum-
na, relati à D. Ioan Larrea decif. Granaten. 859. nu. 12. in fin.

17 Nec fas est Principi absque iusta causa ius Tertij auferre
cap. Quamuis, de Rescrip. Gramma. decif. 105. nu. 7. Pet. Gregor.
de Repub. lib. 7. cap. 20. nu. 41. Covarrub. *lib. 3. varia. cap. 6. nu. 6.*
Molina *de iusti. & iur. trac. 2. dispu. 174.* Canc. *par. 3. cap. 3. à nu. 33.*
Salgad. *de sup. ad Sanctis. par. 1. cap. 7.* Amato *Resolu. 72. nu. 26.*
Fran. Maria Prato *discep. foren. cap. 27. à nu. 16.* sive ius sit quæsi-
tum à iure Gentium, sive Civili, Cravet. *de antiqui. par. 1. nu. 17.*
& par. 4. nu. 19. & consil. 135. n. 20. Balbus *de Præscrip. 5. par. 5. prin-*
cipa. quæst. 8. D. Ioa. Balboa *ad cap. 1. de cau. posse. & propriet. nu.*
61. Minsyng. *centu. 5. obser. 97.* Ramon *consil. 24. nu. 99.* Molin.
lib. 2. de Primoge. cap. 7. nu. 29. Arias de Mesa *varia. lib. 2. cap. 49.*
nu. 17.

18 Ius namque semel quæsitum, mediante iure Civili,
etiam dicitur de iure Gentium. Bart. *in l. 1. ff. de adquir. rer. domi.*
Iason *in l. Hoc iure, nu. 43. ff. de iusti. & iure, & in S. Omnium, nu.*
72. Insti. *de Actionib.* Anto. de Burg. *in Rubri. de Empti. & vendi.*
nu. 28. Felin. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, nu. 49. de constitu.* Zazius
in l. Princeps, nu. 12. ff. de legib. D. Ioan. de Balboa *in allega. cap. Sus-*
ceptis 1. de caus. posse. & propriet. nu. 60.

19 Et casu quo standum non esset prædictis Bullis Apo-
stolicis, prout standum est, ad minus parendũ erat Regijs Decre-
tis, super hoc emanatis, quibus Regia Maiestas dignata fuit præ-
cipere, quod dicti ducati auri de Camera solvantur ad rationem
16. regalium monetae usualis, temperando sic in beneficium, &
ad petitionem eiusdemmet Admodum Illustris Episcopi D.
Fran-

Princeps nunquã debet
facere in præiudicium Tertij

Princeps absque iusta causa non
potest ius Tertij auferre. sive
ius sit quæsitum a iure gentium
sive civili

Ius semel quæsitum, mediante iure
civili etiam dicitur de iure gentium

Francisci de Berardo, antecedens Regium placitum, quo dispo-
nebatur pensiones reservatas, in ducatis auri de Camera, ante
annu 1674. exsolvendis venire ad rationem 16. regaliu monetae
argenteae, pro quolibet ducato auri de Camera, iuxta q noviter
sub die 7. Aprilis 1682. praecipit, & ordinavit, dicto Nobili ad-
versanti, quatenus solveret dictos ducatos aureos de Camera, ad
dictam rationem 16. regaliu monetae currentis, qua quidem
Regia Decreta vim legis habere indubium est. Angel. in l. Item
veniant, §. Coeterum, ff. de Peti. heredi. Roman. consil. 260. nu. 1.
Bart. in l. 1. ff. de Fer. & ibi Alexan. nu. 24. Surd. consil. 371. nu. 27.
ut late prosequitur Salgado de sup. ad sanctis. par. 1. cap. 2. nu. 193.
cum seqq. 200. Ex quibus in Syndici favorem declarandum fore cen-
semus, ac decidendum, Nobilem adversantem condemnandum
fore, ad persolvendum praedictam pensionem 700 ducatorum,
ad rationem unius scuti auri, in auro, vulgo, *mitja dobla de or*, ad-
dito uno Julio monetae argenteae, in vim Diplomatum Roma-
norum Antistitum, vel saltem pro nunc, & sine praedictio &c.
ad illam exsolvendam, ad forum 1112 ϕ . monetae Barcinonen-
pro unoquoque ducato auri de Camera, in executionem Regia-
rum literarum, & ita speramus ex praestantissimis Regijs Sena-
toribus, cuncta praedicta, & in processu iustificata rimantibus,
iuxta textum in Cano. *Judicantem* 11.30. *quest. 5. Chassene. Cac.*
glo. Mun. 12. par. nu. 23. Salvo semper, &c.

DE VALDA
DE VILAPLANA

PORTELL

Regia Decreta vim legis habent

*Subd. des. coram. Ingentes
inquisitor*